



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. VII. De Specierum diuisibilitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

eas species non excitari, quia deest occasio; ostendi enim, etiam si ipsemet homo iterum compareat, & consequenter valde magna & summa quæ potest esse, detur excitatio, non tamen excitari tales species, & saltem non cum eâ viuacitate quâ prius. Nec video, quomodo aliter id explicari valeat, nisi planè dicantur petiisse illæ species per se vel totæ, vel magnâ ex parte. Nam, ut in exemplo posito constat, quando quis transit per locum aliquem, videt ibi hospitem, videt famulos; si statim secundo occurrant, recordatur se eos vidisse: si verò non nisi post duos tréve annos, quis adeò bonæ erit memoriæ, ut ex vno solo conspectu, per vnicum ictum oculi, noscat postea eum hominem vel post quadraginta annos? Ibi autem euidenter ostendi, nec ad defectum subiecti, aut causæ efficientis posse recurri: nec item ad dispositiones diuersas. Non ergo restat alia via, nisi quòd fuerint immediatè per se destructæ; quod mihi ex dictis euidentissimum est.

Rogabis, an aliquando contingat per nutritionem amitti totam partem cerebri in quâ recipiuntur species phantasiæ, & sic omnes illas perire. Respondeo Primò, ex dictis paulò antè constare, hinc non posse reddi rationem, cur non recordemur obiectorum. Respondeo Secundo, fortè aliquid cerebri hoc modo mutari, & aliquas species amitti. Addo tamen, probabilius esse, etiam si pars aliqua cerebri mutetur; imò, etiam si totum successu temporis, non tamen ideò perire absolutè species phantasiæ. Hæc est contra ferè omnes. Probat tamen apertè Primò, quia potest dici, species, quæ sunt in intellectu de eis obiectis, postea excitari ex similitudine cum aliis, etiam si nullæ de eo obiecto tunc sint in phantasiâ. Imò supra dixi, valde esse probabile, sæpè immediatè in intellectu excitari species aliquas memoratiuas, independentes ab operatione phantasiæ: tunc autem posset dici, produci ab eo actu spirituali, simul cum phantasiâ, speciem materiale de eo obiecto, quæ recipiuntur in nouâ parte cerebri. sicut enim intellectus cum phantasiâ producit sibi species spirituales, cur non phantasiâ cum intellectu producent sibi materiales? Ergo ex eo, quòd detur memoria rerum olim factarum in infantia, non sequitur, durare aliquam partem cerebri, in quâ tunc primò fuere productæ ille species. Secundo melius probameam sententiam: quia sicut, quando in manu aut facie est semel signum aliquod, semper producit in eâ parte quæ de nouo acquiritur; ita etiam in parte illâ subtilissimâ cerebri, quæ vnâ vice producit, alterâ amissâ, produci debet alia species similis ei, quæ fuerat in alterâ subtilissimâ parte tunc deperditâ, idque fieri à specie remanente, quæ habet virtutem producendi aliam similem sibi in eâ nouâ parte cerebri; quia est subiectum capax. Sicut species in aëre existens, producit aliam in aëre sibi immediatè, & ea, quæ est in primâ parte pupillæ, aliam in sequente: cur etiam ea, quæ est in parte cerebri, non producat etiam sibi similem in nouâ parte cerebri? Nec in hoc vllam planè video vel apparentem rationem, quâ reici possit.

An verò absolutè tota pars cerebri mutetur, non huius est loci. Ego existimo, partes ita à stomacho distantes non facillè vi humidis radicalis

totas mutari. Vnde absolutè puto probabiliter, non mutari totum cerebrum vi actionis nutritiæ.

SECTIO VII.

De Specierum diuisibilitate.

INQUIRIMUS, an obiectum diuisibile, v. g. albedo palmaris, emitat vnicam indiuisibilem speciem sui, quæ totam illam albedinem representet, an verò iuxta partium distinctionem, diuersas etiam producat partes speciei, quæ tamen omnes in eadem pupillâ recipiantur. Difficultas hæc ad omnes species, & materiales & spirituales extenditur.

SYBSECTIO PRIMA.

Nostri sententia.

PRIMA CONCLUSIO. Species externæ obiecti diuisibilis diuisibilis sunt. Probat: vna pars illius obiecti emitit species independentem ab aliâ, v. g. vna pars albedinis muri independentem ab aliâ; ergo emitit species distinctas à speciebus alterius; ergo hæc species sunt diuisibiles iuxta obiecti diuisibilitatem. Vtraque consequentia est bona: Antecedens probatur, quia vna pars parietis videatur, nullatenus pendet à visione alterius, illâ enim ablata vel cooperatâ, adhuc altera videtur; ergo vna non pendet à visione alterius; ergo non videtur vtraque per eandem speciem, sed per distinctas & independentes inter se, quarum vna potest sine alterâ existere, & producere visionem.

SECUNDA CONCLUSIO. Pars speciei representans partem muri v. g. non producit ab omnibus aliis partibus obiecti, sed solum à parte visâ. Hæc etiam probatur facillè, quia si produceretur ab omnibus, esset species omnium, & consequenter per illam solam omnes repræsentarentur, quod est manifestè contra experientiam; ergo quælibet pars speciei, sicut solum repræsentat partem obiecti, ita à solâ illâ parte producit. Hæc ratio pro hac Conclusionem, ut ex dicendis infra constabit, non est adeò solida, ideò sequentibus attende. Et primum posses dicere, totam albedinem videri per vnicam speciem indiuisibilem, productam à totâ albedine: quando autem auferretur pars albedinis, destrui præcedentem speciem, & eius loco aliam indiuisibilem, quæ repræsentat albedinem remanentem, produci, sicut in simili de visione animæ rationalis, & de vocatione Angelicâ docetur ab his, qui censent rem spirituales non posse esse diuisibiles.

Sed contra Primò, quia incredibilis est tam frequens corruptio specierum, & ex eo quòd vnicum punctum cæli vel de nouo appareat, vel de nouo occultetur, totius cæli species corrupti, præsertim cum nulla sit necessitas ponendi eiusmodi successiones specierum. Contra Secundò, & efficacius, quia in aëre iuxta fenestram v. g. datur species magnæ partis cæli: atqui illa non est vnica & indiuisibilis, sed composita ex partibus; ergo species obiecti diuisibilis est composita. Consequentia est euidentis: Maior certa, quia è 221 fenestra potest videri medietas cæli, & ne hinc pendat

pendeat argumentum, ex fenestrâ potest videri multo maior pars celi, siue sit media siue non, quam ex interiori parte cubiculi. Ex hoc autem probo Minorem efficaciter, scilicet, illam speciem, per quam videtur in fenestrâ magna pars celi, esse compositam ex pluribus partibus: nam si esset vnica indiuisibilis, eo ipso quod illa in interiori parte cubiculi produceret aliam speciem, posset ex interiori cubiculi tanta pars celi, quanta ex fenestrâ videri, quod est contra experientiam. Sequela probatur, quia species illa in interiori parte cubiculi existens produceretur à specie fenestrâ per te indiuisibili, & æqualiter representante totam illam magnam partem celi; ergo species illa secundò producta in interiori parte, æqualiter etiam representaret totam partem celi, quam representat prima species existens in fenestrâ, & à quâ oritur. Nec potest responderi, secundam speciem existentem in interiori parte cubiculi non representare totam partem celi, quam representat species quæ est eius causa, eo quod in interiori cubiculi partem non potest è totâ illâ parte celi deduci lineâ rectâ ob impedimentum muri. Non, inquam, potest hoc responderi, quia, vt videatur obiectum, non requiritur vt sit lineâ rectâ semper ex ipso ad potentiam, sufficit enim, si ex potentia ad speciem de obiecto lineâ rectâ deducatur, vt patet in speculo: licet enim obiectum non sit lineâ rectâ versus conspicientem, quia tamen ex obiecto in speculo lineâ rectâ species producit, & ex speculo lineâ rectâ accedit ad oculum, potest obiectum retrò existens videri; ergo si species fenestrâ indiuisibiliter totam illam partem celi representat, & ab illâ specie fenestrâ alia secunda species per totum cubiculum producit, per illam poterit videri idem quod per speciem fenestrâ, licet ad interiori cubiculi partem non detur lineâ rectâ ex totâ parte celi visâ; ergo non est illa species fenestrâ indiuisibilis totum cælum representans, sed ibi sunt in fenestrâ tot partes speciei distinctæ, quot sunt partes celi visæ, & in interiori cubiculi parte solum producantur species ab illis partibus speciei existentis in fenestrâ, quæ lineâ rectâ ex obiecto, à quo veniunt, possunt ingredi cubiculum; ab aliis autem non producantur, quia non possunt progredi lineâ rectâ, & aliunde ex aëre solo in fenestrâ non reflectuntur, nec potest rectè aliter intelligi, quâ ratione ex interiori cubiculi parte non videatur tantum celi quantum ex fenestrâ.

227 Possêt minùs malè Secundò responderi, vnam speciem non produci ab aliâ, sed omnes ab obiecto, ideoque quia ad interiora cubiculi non potest esse lineâ rectâ ex tantâ parte celi, quanta ex fenestrâ, inde fieri, vt non producant speciem intra cubiculum tot partes celi, quot in fenestrâ, & consequenter nec tot videantur. Sed contrâ, quia illud principium, cui hæc solutio innititur, falsum est: connaturalius enim calori productio caloris, & luci lucis, & speciebus specierum secundarum tribuitur, quam ipsi obiecto distant.

Tertiò efficacius & euidentius præcipuum intentum ostendo, quia si omnes partes albedinis per vnicam indiuisibilem speciem videntur, ergo æquè clarè omnes partes. Patet euidenter consequentia, quia claritas visus vel auditus consistit in intensione harum specierum; ergo cum

eadem sit indiuisibilis species respectu omnium partium, oportet vt eadem sit intensio speciei, & consequenter eadem claritas: constat autem euidenter experientiâ, remissius & minùs clarè videri partes distantes eiusdem albedinis quam propinquiores, & eas quæ magis illuminatæ sunt, clariùs quam quæ minùs illuminantur, vt patet in aspiciente mare, qui clariùs videt aquam vicinam, quam remotam; ergo non est vnica species impressa, neque vnica cognitio respectu illarum omnium partium; ergo non potest dici, eas partes albedinis, quæ videntur, inæqualiter videri per vnicam visionem vel vnicam speciem, sed eam quæ clariùs videtur, videri per intensiorem partem speciei; & quæ minùs clarè, per remissio-

Hinc autem rursus infertur, etiam inter eas, 228 quæ æqualiter videntur, esse distinctas partes speciei iuxta partes obiecti, eo quod in ordine ad obiectum per accidens est, quod ego sim vicinior vni parti quam alteri; ergo, si quando sum inæqualiter vicinus illis partibus, producit in me distinctas partes speciei, & eas producit, quando sum æquè vicinus; non enim albedo cognoscit meam vicinitatem, nec per motum meum illa immutat productionem specierum in aëre sibi vicino, neque hic in potentia.

SUBSECTIO SECUNDA.

Respondetur aduersæ partis argumentis.

CONTRARIUM sentiunt nonnulli, qui moventur Primò ab exemplo. Secundò à posteriori. Ab exemplo, quia Sol & ignis non producit secundum vnam partem sui lucem in vnâ parte aëris, & secundum aliam in aliâ, sed omnes partes indiuisibiliter concurrunt ad producendam quamcumque lucem; ergo etiam obiectum concurreret non secundum vnam sui partem ad vnam speciem, & secundum aliam ad alteram; sed secundum totum ad quamcumque. Hoc exemplum facile ostendo non esse ad rem: nam cum lux & color sint qualitates naturâ suâ ordinatæ ad representandum id à quo producantur, possunt quælibet ex illis oriri ab omnibus partibus agentis; at species, cum sint representatiuæ & vicariæ suorum obiectorum, non producit quælibet, nisi ab eâ parte quam representat. Et hinc eruitur differentia à priori: nam ignis 229 quilibet continet, quantum est ex se, quoscunque calores: at albedo huius chartæ non continet species alterius chartæ, sed sui solius, quia solum est ipsa virtualiter representatiua sui, non aliorum: vnde fit, vt vna sola nullatenus possit producere species, quas altera charta de se producit; at hic ignis etiam solus potest efficere eum calorem, quem solus producit alter ignis. Vides ergo, magis determinatas esse species ad vnam causam, quam sint calor, lux, ceteraque accidentia quæ non sunt vicaria suarum causarum. Hinc, adiunctis experientiis quas supra posui, colligo manifestè, de facto non produci nisi à qualibet parte obiecti partem speciei, etiam si non repugnaret fortè diuinitus, vt omnes concurrerent ad eandem speciem, & quælibet pars daret illi indiuisibili speciei rationem vicarij sui ipsius, & hoc do isti sententiæ, & propter hoc dixi supra in secundâ Conclusionem, rationem ibi allatam non esse

esse efficacem, quia non videtur repugnare, vt species de me producat etiam à Ioanne, dummodò ego simul cum illo concurram. A posteriore arguunt aduersarij: Quia vna exigua pars obiecti non potest à longè videri sola, videtur autem simul cum aliis partibus; vna arbor sola non distinguetur ab vno milliari, distinguetur autem vna silua; ergo species de illâ arbore producantur à totâ siluâ, & non à solâ eâ arbore. Probatur consequentia euidenter, quia si ea arbor sola produceret species sui, tã intensas produceret sola, quàm iuncta aliis arboribus: quid enim illi tales arbores prodesse, aut iuuarent? ergo si, quando est cum aliis, melius videtur, signum est, eam iuari ab aliis ad productionem specierum, ergo omnes concurrunt ad quamlibet.

231 Huic argumento respondent nonnulli, ab vnâ arbore non produci remissiorem speciem, nec in minori distantia quando est sola, quàm quando est cum aliis arboribus, solam tamen non videri, quia illa species non potest sola immutare potentiam, eget enim continuatione cum aliis. Hanc solutionem approbo, & amplius confirmo manifestâ experientiâ. Quando enim vnus homo, vel quodlibet aliud obiectum, distat à visu valdè, ita tamen vt absolute possint venire species illius ad potentiam & possit videri, licet confusè, in eo casu, etiam si illuc concurrant infiniti alij homines iuxta illum, non propterea illum eundem in se videbo clariùs aut distinctius quàm priùs, etiam si de totâ illâ multitudine habeam visionem aliquam valdè magnam; ergo ille homo non iuuatur ad producendas species de se intensiores ab omnibus aliis. Probo sequelam euidenter: nam si iuuaretur, deberet videri clariùs nunc quàm antea; atqui ille in particulari non videtur; ergo species de illo non sunt maiores nunc quàm antea. Vnde infertur, quando ita distat, vt iam non possit distingui, non id prouenire eò quòd non veniant species de illo ad nos, sed quia sunt tam remissæ, vt solæ non sufficiant ad immutandam potentiam, etiam si potentia habeat absolute visionem de illo obiecto. Sicut 232 quando in muro albo est musca, aut alia qualibet res alterius coloris, certissimum est, illam partem albedinis, quæ à muscâ occupatur, non videri à nobis, & tamen putamus nos videre perfecte ibi totum murum album, & omnes illius partes, cum verè non videamus; si autem essent plures muscæ, tunc iam id notarem; ergo signum est, sæpè nos videre aliqua quæ putamus non videre, vel aliqua non videre quæ putamus nos videre, eò quòd ab obiecto exiguo non immutatur visus.

Secundò potest responderi, etiam in eo casu non produci visionem de eo obiecto: quia licet sit species de illo, ea tamen est tam exigua, vt non possit causare visionem, sed ad hoc inagget, tamquam conditione, consortio alterius speciei: aut certe Tercio dici potest, ipsam speciem, vt de se producat speciem, indigere alterius consortio, non quia altera efficiat eandem speciem, sed quia 233 est conditio ad operandum. Nec mirandum est tales condiciones requiri aliquando, cum ostenderim alibi, ex motu locali à re præteritâ, vt à conditione, pendere, me hic & nunc posse acquirere hanc vocationem, id est, ab eo quòd in instanti præcedenti fuerim ibi vicinus.

Confirmo hæc sententiam, & retorqueo argumentum: nam quando obiectum est diuersæ rationis, albedo v. g. cum nigredine, non possunt vniri ad productionem visionis, ita vt indiuisibiliter eandem numero visionem producat & albedo & nigredo; ergo neque quando sunt due partes eiusdem albedinis. Antecedens scio à multis ex aduersariis non admitti, probo tamen illud ipsorum argumento, & experientiâ: nam si in muro albo distanti ponatur vna musca, tam non videbitur, quàm si nullum esset obiectum ibi quod posset producere speciem; ergo illa albedo non iuuat muscâ, vt produceret speciem sui in distantia magnâ. licet enim albedo videatur, non videtur musca, deberet autem, si eadem indiuisibilis species esset, vt tu vis, & albedinis & muscæ, ergo albedo non producit cum muscâ nigredine eam indiuisibilem speciem vtriusque, quod erat meum Antecedens. Iam probo consequentiam, scilicet, nec vnâ partem albedinis cum aliâ: quia vt à longè videatur multitudo hominum, tam parum conducit, omnes habere vestes cæruleas aut nigras, quàm quemlibet habere diuersi coloris; ergo si colores diuersi specie non producant eandem speciem indiuisibilem, nec illam etiam producent qui sunt eiusdem speciei. Patet euidenter, quia à longè tam videntur homines multi cum vestibus diuersi coloris, quàm multi cum eisdem; ergo, quòd multi eiusdem à longè videantur, non oritur ex eo quòd eorum species ab omnibus simul producantur. Patet hæc vltima consequentia, quia eodem modo videntur multi diuersi coloris: qui, vt iam est à me probatum, non vniuntur ad productionem eiusdem indiuisibilis speciei; ergo experientia ista tua de obiecto remoto parum hic probat de indiuisibilitate speciei.

Obiicies Tercio: Incredibile est in exigua pupillâ tot esse partes speciei, quot habet celum. Respondeo, negando id esse incredibile, species enim inter se penetrantur.

Obiicies Quarto: Ergo illæ partes speciei vniuntur inter se, sicut vniuntur partes obiecti: hoc autem videtur absurdum, quia cum illæ partes representent diuersas partes obiecti, non videntur facere vnâ speciem per se, item vnâ representant independentem ab aliâ. Respondeo, vix posse certò definiri, vtrum vniuntur, necne, illæ species. Probabile est, non vniri, sicut nec vniuntur cognitiones duorum indiuiduorum, quantumvis similium, eò quòd illæ cognitiones & species, quia distinctorum obiectorum representationes sunt, non faciunt vnum per se: probabilius tamen videtur, sicut partes obiecti sunt vnite, ita & species de illis vniri; sicut quando due partes materiæ vniuntur, vniuntur etiam quantitatis illius partes, & alia accidentia similia, albedinis v. g. partes caloris, frigoris, &c. Argumenta 234 autem aduersa non vrgent: nam vnum representant independentem ab alio, parum obest; ea enim quæ sunt inter se independentia, vt due guttæ aquæ, possunt vniri. Quòd autem representent diuersas partes obiecti, minus vrget: nam sicut illæ partes, licet diuersæ, sunt inter se vnite, eorum non vniuntur & partes speciei? Quod tandem de cognitione additur, etiam non vrget: dico enim, etiam quæ do obiecta sunt vnita, vt partes albedinis, visionem de illis esse vnitam. SVB-

SUBSECTIO TERTIA.

Corollaria ex dictis.

TERTIA CONCLUSIO. In quolibet puncto aëris sunt tres species distinctæ, quod sunt partes obiecti ad quas inde ducitur linea recta. Probatur ex dictis, quia ex quolibet puncto aëris non solum videtur vnum punctum coloris, sed omnia ad quæ ex illo linea recta deducitur. Neque hinc sequitur, plura accidentia solo numero distincta esse simul in eodem subiecto, non, inquam, sequitur, quia illæ species cum representent distincta obiecta, non sunt omnino similes, ut supra etiam tetigit; vel si sint, non tamen sunt origines.

QUARTA CONCLUSIO. Species intuitivæ intellectus, sunt etiam diuisibiles iuxta obiecti diuisibilitatem. Hæc probatur eisdem rationibus, quibus de speciebus externis proximè idem ostendimus, quia etiam intellectus est independens in cognitione vnius partis albedinis v.g. ab alterâ, item ex interiori parte cubiculi, v.g. videt intellectus pauciores partes celi quàm ex fenestrâ; ergo illa visio non est producta, neque mediata ex specie indiuisibili totius celi, v.g. videt intellectus sunt etiam diuisibiles iuxta obiecti diuisibilitatem. Tandem, etiam intellectus aspiens longum murum, clariùs & intensius noscit albedinem sibi vicinam, quàm distantiorē; ergo habet distinctas partes speciei de illis distinctis obiectis: neque in nostrâ sententiâ, docente, rem spirituales posse esse diuisibiles, id habet difficultatem; vnde minùs consequenter loquuntur, qui cum admittant, res spirituales diuisibiles, negant species intellectuales intuitivas esse diuisibiles. Quæ dixi de speciebus, dicenda sunt de cognitione, scilicet illam esse diuisibilem pro diuisibilitate obiecti, quia experientia allata de independentia vnius partis obiecti ab alâ, & de clariori cognitione, per se primò desumuntur ex cognitione; ex hac autem arguimus ad species; ergo si species dicimus diuisibiles, debemus & cognitiones diuisibiles dicere.

VLTIMA CONCLUSIO. Species spirituales sunt indiuisibiles ex parte subiecti; id est, anima, quæ eas recipit, est indiuisibilis: materiales verò sunt diuisibiles; id est, recipiuntur in materiâ diuisibili. Hæc ex dictis ita est certa, ut probatione non indigeat.

SECTIO VIII.

Quo pacto species concurrant.

239 Ex Sectione 2. in quâ ostendi, potentiam cognoscitiuam ex se esse in actu primò incompletam ad cognitionem, eò quòd non contineat omnes illius formalitates vt eas possit exprimere, satis apertè infertur, speciem debere concurrere efficienter producendo formalitatem actus, quæ est representatio. Hoc suadetur vltimò, quia species non potest concurrere in genere causæ formalis; ergo efficienter. Probo Antecedens Primò, quia obiectum præsens non concurret in genere causæ formalis, ut quando v.g. sentio per tactum, iuxta dicta supra qualitates non existentes

in potentia, sed in re tacta; ergo species supplet obiecti concursum, non supplet concursum in genere causæ formalis; ergo neque concurret ad cognitionem in tali genere. Probatur Secundo idem Antecedens, quia species existente in potentia, datur eius concursus in genere causæ formalis, & tamen non datur tunc concursus speciei ad actum, quia non fit actus tunc (neque enim necessarium est, ut dum est species in potentia, semper fit actus) ergo quando existit actus, alium concursum habet species præter concursum in genere causæ formalis, ergo efficientem. Patet consequentia, quia materiale aut finale concursum non potest habere, ut per se patet; nec enim est subiectum cognitionis, nec finis mouens ad illam; pura autem conditio non potest esse ob rationem iam dictam de actuali eius existentia sine concursu; ergo solum remanet concursus efficiens, quem possit habere.

Forè dices Primò: Hoc argumentum nullum esse, nam infra nos docebimus, habitum in genere causæ formalis inclinando voluntatem concurrere, & tamen non ideo semper habitus actu inclinatur; ergo etiam si species in genere causæ formalis concurreret, non sequeretur eam actu semper inclinaturam. Respondeo, negando sequelam: nam ut habitus actu inclinet in obiectum ad amorem illius, debet ipsum obiectum actu cognosci, & ex defectu cognitionis prouenit ut actu non inclinet: at species, quæ ad cognitionem debet concurrere, non potest cognitione indigere, ideo semper deberet ad illam inclinare si in genere causæ formalis concurreret, nec apparet alia conditio à quâ posset pro ea inclinatione pendere.

Dices Secundo: Species datur ad determinandum; sed hoc fit in genere causæ formalis, ergo. Respondeo, à me supra ostensum, speciem non dari ad determinandum, sed ad complendam potentiam; ad hoc autem proculdubio debet concurrere efficienter. Imò hinc retorqueo argumentum: quando in intellectu v.g. dantur species de centum obiectis, ipse intellectus non est determinatus magis ad hoc obiectum, quàm ad illud ex illis centum, & tamen est completus ad illa obiecta; ergo species non determinauit intellectum per inhaesionem sui; ergo, quando in actu secundo determinat actu, aliquid aliud habet præter eam inhaerentiam, hoc autem non potest esse, nisi influxus efficiens in eam cognitionem.

Confirmo idem contra aliquos, qui dicunt, speciem solum dari ad terminandam visionem loco obiecti, quod dicunt fieri sine concursu efficienti; aliunde autem admittunt, non videri speciem, sed obiectum. Contra quos sic arguo: Id terminat visionem, quod videtur, terminare enim visionem, est esse terminum seu obiectum visionis; ergo species quæ non videntur, non concurrunt terminando; ergo debent concurrere efficiendo. Ratio à priori est, quia, ut sæpè dixi, obiectum ad terminandam visionem non requirit præsentiam; creaturæ enim antequam existant, terminant Dei visionem, & Angeli cognitio terminatur ad res ab isto distantes; ergo, si requiritur intima præsentia obiecti, aut specierum in nobis, ideo est, quia species aut obiectum concurrunt efficienter cum potentia.

Dices Secundo: Cognitio concurret ad amorem solum formaliter; ergo & species ad cognitionem.